

Chrysostomus etiam locis ibi citatis aperte excludit comprehensionem Dei in hoc sensu. Insinuat etiam valde Nazian., nam licet frequentius loquatur de viatoribus, interdum tamen extendit sermonem ad omnes, et loquitur ex parte objecti. Specialiter ponderandum est verbum illud, orat. 84, n. 4: *Si non prorsus, at certe plenius*, loquiturque de Angelis videntibus Deum, quos dicit non prorsus videre; et orat. 36, n. 66: *Quemadmodum nemo est qui aerem totum unquam hauserit, ita Dei naturam nec mens unquam ulla prorsus concepit*. In his etiam quæ ex Augustino retuli, ponderanda sunt illa ultima verba, Deum esse incomprehensibilem, quia plenam ejus naturam nemo videre potest. Non enim ad intensionem vel claritatem cognitionis, sed ad objectum id refert. Et eodem modo loquuntur cæteri ibi citati, et Cyprian., in Præfat. ad lib. de Cardin. Christ. oper.; et Basil., lib. de Vera fide. Huc accedit, quod sect. 1 ostensum est, hanc perfectionem cognitionis sufficere ad comprehensionem simpliciter; at nemo dicit absolute, animam Christi comprehendisse Deum, aut creaturam posse ad Deum comprehendendum elevari; ergo.

14. *Quanam ratione aliqui intentum probare studeant.* — At vero, in reddenda ratione hoc repugnet, non modica, ut dixi, difficultas est. Quidam hac utuntur ratione. Ad videndum in Deo omnia absolute possibilia necessaria esset visio infinita in sua entitate, saltem secundum augmentum extensivum; omnia autem infinitas in actu repugnat creaturæ, ut nunc supponimus, et supra tactum est. Idemque argumentum fieri potest de lumine gloriæ, quod, scilicet, lumen actu infinitum ad talem visionem requiratur. Probatur autem assumptum, quia creaturæ possibiles sunt infinitæ, seu in infinitum simpliciter procedunt, tam in singularum specierum individuis, quam in ipsis speciebus, ut ex 1 p., q. 25, suppono; et ad videndas plures rerum species, seu perfectiones in Deo, major seu intensior visio necessaria est, et quo res visæ plures fuerint, eo major erit perfectio visionis et luminis; et in utroque augmento progredi potest in infinitum; ergo, si ex parte objecti pervenitur ad videndum infinita simpliciter, necesse etiam est visionem ipsam pervenire ad infinitam intensionem vel extensionem in actu; quia nec potest fieri ascensus ad visionem altioris ordinis, neque in eodem ordine potest fieri augmentum, nisi extensivum vel intensivum; neque in eo augmento sisti po-

test in aliquo termino finito, cum processus in rebus visis non sit intra aliquem terminum finitum, sed in tota latitudine entis creabilis.

15. *Super ratione prædicta auctoris iudicium.* — Hæc ratio aliquando mihi visa est efficax, et sumi ex D. Thoma, 1 p., q. 12, art. 7 et 8, nam in priori probat, Deum non posse comprehendi, quia non potest videri in infinito lumine; in posteriori vero probat non posse creaturam videre in Deo omnia possibilia, quia comprehenderet Deum. Unde de primo ad ultimum inferri videtur, quod, si creatura videret in Deo omnia possibilia, videret infinito lumine, quia comprehenderet ipsum, et ad comprehensionem necessariam esset infinitum lumen. Unde si objiciatur, quia plus est videre Deum quam creaturas; sed ad videndum Deum non requiritur infinitum lumen; ergo neque ad videndas creaturas; facilis est responsio ex dicto discursu, quia plus est comprehendere Deum, quam videre, et ideo ad illud potest necessario requiri infinitum lumen, licet ad hoc non requiratur. Videre ergo creaturas in se ipsis minus est quam videre Deum; tamen videre illas in Deo, majus quid est quam videre præcise Deum, non videndo creaturas in ipso, quia videre creaturas in Deo, includit videre Deum; et videre plures creaturas in Deo includit videre Deum perfectius, cæteris paribus; et consequenter videre omnes possibiles videtur esse infinite videre Deum, quod non fit sine infinito lumine et infinita visione. Unde Soto, in 4, loco supra citato, concedit, si per impossibile viderentur in Deo omnia possibilia sine infinita claritate, visionem illam non fore comprehensionem; sed ideo talem visionem necessario fore comprehensionem, quia non potest fieri sine infinito lumine, et ob eandem causam esse impossibilem creaturæ.

16. Sed nihilominus hæc ratio in prædicto sensu non tam efficax nunc apparet mihi, sed aliquid ei addere, ut persuadeat, iudico necessarium. Triplex ergo infinitas potest intelligi in tali visione. Prima est essentialis et specifica; secunda extensiva in ordine ad objectum; tertia intensiva in ordine ad subjectum. Ratio ergo facta non procedit de prima infinitate essentiali, neque in hoc sensu fit ab auctoribus ejus, tum quia supponunt talem visionem, qua viderentur in Deo omnia possibilia, esse creatam; non enim disputamus nunc cum Hugone, et aliis, qui posuerunt, illam visionem esse increatam; visio autem creata non potest esse infinita simpliciter, et

in specie sua ac essentia; tum etiam quia supponunt, talem visionem esse ejusdem speciei cum visionibus aliorum beatorum, qui non vident in Deo omnia possibilia; augmentum ergo talis visionis solum esse potest alterutro ex iis duobus modis, vel utroque simul; in neutro autem illorum videtur necessario sequi infinitas in actu ex visione omnium possibilibus in Verbo.

17. *Visio, qua infiniti effectus possibiles in Verbo videntur, non esset extensive infinita.*

— Quod in hunc modum declaro imprimis, quod atinet ad extensivum augmentum visionis beatificæ; nam videtur ille modus ratiocinandi de augmento extensivo, supponere, visionem illam per additionem entitativam extendi ad objecta secundaria, visa in Deo, sicut in objecto primario; ita ut illa visio sit suo modo composita in sua entitate, et in ea possit intelligi aliquid entitatis, quo attingit Deum præcise; et aliquid aliud illi addi, ut perfectius videns Deum, attingat etiam creaturas in ipso, et hoc additum eo esse majus in sua entitate, quo plures creaturæ per talem visionem attingi possunt; ac denique, si visio Petri nunc extenditur ad videndas decem creaturas in Deo, ut augeatur et extendatur ad undecimam, aliquam partialem entitatem illi esse addendam. Et juxta hunc conceptum recte concluditur, non posse intelligi illam visionem actu terminatam ad infinitas creaturas possibiles, quin intelligatur actu habere infinitum augmentum secundum hunc modum compositionis et augmenti. Verum tamen hic modus compositionis in actu visionis beatæ, prout ad Deum in se, et ad creaturas in Deo terminatur, non existimo esse verum, ut nuper in 1. 2, in materia de beatitudine docui, et hæc potissimum ratione probavi. Quia, si visio illa intelligitur composita et aucta per unionem et additionem partialium entitatum, vel illæ entitates partiales sunt etiam compositæ et divisibiles in infinitum, sicut sunt partes quantitatis et gradus intensionis, aut sunt indivisibiles omnino, et uniuntur sicut materia et forma, vel alio simili modo. Neuter autem modus compositionis potest habere locum in visione beata respectu illorum objectorum. Quod sic ostendo. Nam in priori compositionis modo duo intercedunt, quæ nec ratione subsistunt, nec satis intelligi possunt. Unum est, quod illæ duæ partes entitatis visionis terminatæ ad Deum, verbî gratia, et ad Angelum in Deo visum, sint iterum divisibiles, et compositæ entita-

tive, non secundum intensionem ex parte subjecti; nunc enim non agimus de latitudine et compositione pure intensiva, de qua statim, sed agimus de extensiva in ordine ad objectum; secundum hanc ergo considerationem et compositionem, non est unde illa pars visionis (ut sic dicam) quæ terminatur præcise ad Deum, sit divisibilis, neque illa quæ terminatur ad Angelum, quia neque ex parte subjecti habent partes, ut per se constat, quia subjectum est indivisibile; neque ex parte objecti, quia etiam singula objecta in exemplo posita sunt indivisibilia, et in ordine ad illa sunt singulæ illæ partes indivisibiles, quia illa pars visionis, quæ versatur præcise circa Deum, tota tendit in Deum secundum idem, et nec mente fingi potest quod in illa sit aliqua particula, qua videatur aliquid in Deo, et alia, qua videatur aliquid aliud; quia suppono, per totam illam videri solum id, quod est formaliter Deus, in quo non potest illa partitio fieri. Idemque argumentum fieri potest de alia parte, prout terminatur ad Angelum; non possunt ergo illæ partiales entitates esse amplius divisibiles extensive, seu ex parte objecti. Atque hinc facile constat idem esse dicendum, etiamsi objectum creatum, visum in Deo, sit materiale vel compositum, tum quia videtur indivisibili modo seu per modum unius; tum etiam quia, si illa visio, prout terminatur præcise ad Deum, indivisibilis est, non potest compositionem facere per modum continuationis cum alia entitate partiali divisibili, ut constat ex natura talis compositionis, et statim amplius declarabo.

18. Hinc colligitur secundum, quod proposui, scilicet, non posse intelligi, quomodo illæ duæ partes uniantur ad componendam unam visionem; nam si utraque illarum est indivisibilis, non possunt uniri per modum continuationis; quia hæc compositio requirit latitudinem in partibus, et quod non secundum se totas jungantur, sed solum in aliquo extremo, seu termino communi indivisibili. Nec etiam possunt uniri proxime et immediate secundum se totas, quia hic modus unionis non intercedit nisi inter subjectum et accidens, materiam et formam, et in universum, inter potentiam et actum, vel cum proportionem ad illa; at vero in præsentem nulla ratio potentia et actus inter illa duo intercedit, quia utraque pars est per modum actus secundi et ultimi, et per se tendit in suum objectum. Neque etiam explicari potest quis modus unionis inter illas duas partes inter-

cedat, nec quæ sit ratio ob quam illæ duæ entitates in unam coalescant. Nam, si quæ esset, maxime quia tendunt in objecta non æque primo, sed cum ordine intuendo unum in alio; sed hæc ratio potius probat actum esse indivisibilem, quam esse sic compositum, ut statim declarabo. Atque hinc etiam fit, licet fingatur illa visio indivisibilis prout terminatur ad Deum, et divisibilis prout terminatur ad objecta creata, non posse intelligi unionem inter illas partes: neque enim esset unio per modum continuationis, quia neutrum extremum talis unionis potest esse indivisibile, sed solum potest esse terminus et imperfectum quid in tali genere entitatis, quod hic cogitari non potest de illa visione, prout terminata ad Deum. Neque etiam potest intervenire aliud genus unionis, propter eandem rationem factam. Quinimo, etiamsi gratis daremus illas partes visionis esse aliquo modo divisibiles, non posset intelligi quo communi termino copularentur, quia ille communis terminus deberet esse proportionatus visioni, et ejusdem ordinis et habitudinis; ergo oportet ut haberet ordinem ad objectum aliquod, quia tota visio secundum se totam, et secundum totum quod in illa est, tendit in aliquod objectum, illudque repræsentat, alioqui esset in tali actu aliquid quod degeneraret a natura visionis, et nullo modo compleret in illa repræsentationem objecti adæquati ejus, quod est contra naturam visionis, et prorsus impertinens ad integritatem seu complementum ejus; si ergo duæ illæ partes visionis unico communi termino uniuntur, necesse est ut ille terminus aliquod objectum respiciat; vel ergo respicit Deum tantum, et sic non esset aptus ad terminandum alteram partem, quæ tendit in Angelum. Atque eadem ratione, non potest respicere Angelum tantum, quia non posset terminare alteram partem, quæ tendit in Deum. Et præterea est communis ratio, quia nulla est ob quam ad unum objectum potius quam ad aliud terminetur. Neque etiam potest terminari ad utrumque, tum quia esset alterius rationis a singulis partibus; et quia si illud indivisibile attingit utrumque objectum, melius dicitur totum actum esse indivisibilem, et simul repræsentare Deum, et creaturam in ipso, quia non est major ratio de illo indivisibili quam de toto actu.

19. Atque hinc sumitur alia ratio a priori, quia per hanc visionem non videntur Deus et creatura (verbi gratia, Angelus) concomitanter solum et æque primo, ut in principio hu-

jus sectionis supposui et ostendi, quia nec hoc esset videre unum in alio, nec posset tunc ratio reddi, cur illa objecta tam diversi ordinis uno actu viderentur. Videntur ergo cum ordine ex parte objectorum, videndo, scilicet, unum in alio; ergo non potest in illa visione intelligi aliquid entitatis, attingens præcise creaturam, quod non etiam attingat Deum; quia nihil est in illa visione quod primario attingat creaturam, sed secundario, et in Deo, ac per Deum; ergo ille actus indivisibiliter attingit Deum et creaturam in Deo. Et confirmatur, quia per illam visionem ita videntur Deus et creatura, ut videatur distinctio eorum, et habitudo creaturæ ad Deum in ratione participationis dependentis a Deo; ergo necesse est ut sit indivisibilis entitas, quæ hæc omnia attingit; quia non potest repræsentare habitudinem et distinctionem, nisi repræsentando extrema; et ita eadem indivisibili entitate, qua repræsentatur unum, repræsentantur etiam alia. Ultimo tandem hoc persuadetur, quia alias non potest intelligi quo modo de facto visio animæ Christi attingat infinita sine augmento infinito secundum partiales entitates; hoc autem modo facillime hoc intelligitur, ut inferius declarabitur.

20. Concludo igitur visionem beatam non attingere Deum et creaturas in Deo per compositionem, nec per augmentum quod fiat per additionem partialis entitatis, sed per indivisibilem entitatem tantæ perfectionis, quæ potens sit repræsentare non solum Deum præcise, sed etiam ut continet has vel illas creaturas; excluso enim priori modo, non potest alius excogitari, quo possit eadem visio ad Deum primario, et ad creaturas in Deo et secundario terminari. Quocirca, quamvis, cæteris paribus, visio Dei perfectior sit, quo plures vel meliores effectus in ipso videntur, hæc tamen inæqualitas non consistit in aliquo partiali augmento vel intensione, sed in perfectiori entitate indivisibili ipsius visionis, non quod una sit diversæ speciei ab alia, neque essentialiter perfectior; conveniunt enim in primario objecto, a quo habent essentialem speciem et perfectionem; sed quod intra eandem speciem una sit perfectius individuum, seu perfectiorem entitatem individualement habeat quam alia; hæc enim inæqualitas intra eandem speciem non repugnat, ut ex Metaphysica suppono. Unde etiam fit ut una et eadem visio Dei, qua videntur in Deo pauciores effectus seu creaturæ, non possit per aliquod augmentum crescere ad

plures creaturas in Deo videndas, sed oportebit omnino visionem mutari, et, ablata imperfectiori, perfectiorem dari, si beatus crescere debet in visione creaturarum in Verbo. Ratio est clara ex dictis, quia res indivisibilis, ut talis est, non recipit augmentum; sed visio eadem indivisibiliter attingit Deum et creaturas in Deo; ergo secundum eam rationem non potest augeri; sed necesse est ut vel easdem res semper manifestet, vel, si plures manifestandæ sunt, mutetur visio. Confirmatur, quia si visio eadem augenda esset, illi addenda esset aliqua entitas partialis, quia alio modo nequit intelligi augmentum, præsertim extensivum; ostendimus autem talem entitatem non posse addi, neque uniri priori entitati; ergo repugnat tale augmentum.

21. *Illatio ex dictis.* — Atque hinc tandem colligitur id quod in hoc discursu intentum est, ad intelligendam visionem creatam Dei, qua videantur in ipso omnia possibilis, non oportere in illa visione concipere infinitum augmentum entitatis talis visionis, quasi extensivum ex parte objecti, per additionem partialis entitatis, ad eum modum quo censent multi augeri habitum, cum ad plures conclusiones seu actus extenditur; jam enim ostensum est hoc genus augmenti non reperiri in visione beata; satis ergo esset intelligere visionem indivisibilem, habentem perfectissimam entitatem in illa specie visionis, quæ una habitudine, ut sic dicam, seu una repræsentatione indivisibili attingeret Deum, et repræsentaret omnia quæ in ipso sunt formaliter, vel eminenter, sicut ipsa visio in creata Dei indivisibiliter hæc omnia repræsentat ex vi perfectæ repræsentationis ipsius essentia Dei; sic enim illa visio creata esset participatio visionis in creata, et modo quodam indivisibili participaret illam perfectionem, cum quadam æqualitate extensiva ex parte objecti, non tamen cum æqualitate simpliciter, quia haberet minorem claritatem et perfectionem intensivam, et esse participatum. Sicut Angelus ab æterno productus haberet quamdam æqualitatem quasi extensivam cum Deo in duratione, quia semper cum illo coexistisset, non tamen haberet æqualitatem simpliciter, quia ejus duratio esset intensive minus perfecta, et non necessaria ex se, sed dependens. igitur ex hac infinitate extensiva non videtur posse immediate concludi, hanc visionem esse impossibilem.

22. *Visio creata, possibilis omnia eminenter in Deo contenta attingens, non necessario intensive infinita.* — Ex his ergo facile videtur demonstrari posse, nullam etiam infinitatem intensivam necessario sequi in visione beata creaturæ, ex hoc præcise quod attingeret omnia possibilis, quæ in Deo eminenter continentur. Probatur ex dictis, quia quod una visio beata repræsentet plures vel pauciores creaturas in Deo, non provenit ex intensione visionis, sed ex perfectiori entitate individuali ipsius visionis; ergo, quod repræsentet omnes, non provenit ex infinita intensione; neque ad hunc effectum erit per se loquendo illa intensio necessaria. Antecedens, præter ea quæ dicta sunt, declaratur primo, quia, si visio Dei sit ut unum, et per illam videatur in Deo species humana, verbi gratia, etiamsi intendatur, et fiat ut duo, non extenditur ad plures creaturas, sed per illam videbitur Deus clarius, et similiter humana species in Deo; ergo extensio visionis ad plura objecta secundaria non provenit ex intensione. Antecedens patet, quia, si illa visio vere intenditur, illi gradus intensionis sunt per se subordinati, ita ut secundus natura sua ponat primum, et tertius secundum; at vero repræsentatio speciei humanæ vel alterius non habent inter se eam subordinationem, ut per se notum est; ergo ex vi intensionis præcise non potest fieri illa extensio ad repræsentandas alias species. Secundo, quia augmentum intensivum, ut sic, totum est ex parte subjecti, per majorem conatum potentia, et consequenter per majorem radicationem ejusdem actus in eodem subjecto circa idem objectum; ergo necesse est totam intensionem versari circa easdem res visas; nam, si conatus potentia extenderetur ad nova objecta, etiam secundaria, non necessario cresceret in intensione et claritate circa primum objectum ut sic; ergo hæc duo augmenta sunt diversarum rationum, nec unum ex alio necessario consequitur, neque e converso. Quo fit ut eadem numero visio, quæ repræsentat Deum, et decem creaturas in ipso, possit esse et intensa et remissa, illas decem creaturas clarius vel minus clare repræsentando, et non plures neque pauciores; et e contrario, fieri potest quod duæ visiones sint inæquales in repræsentando plures vel pauciores creaturas, et tamen quod in gradibus intensionis sint æquales. Ac denique non repugnat visionem, quæ ad plures creaturas extenditur, esse in intensione et

conatu operantis remissiore. Sicut Angelus inferior videt interdum in uno principio omnes conclusiones quas videt superior, licet hic majori claritate illas et non plures videat. Interdum vero fieri potest ut plures conclusiones unus actu consideret quam alius in eodem principio, quamvis actu minus intenso, seu minori conatu. Sunt ergo hæc duo, intensio, scilicet, et extensio visionis, quasi duæ quantitates diversarum rationum, quarum altera potest esse major, etiamsi altera minor sit, et e contrario; sicut actus charitatis erga Deum potest esse intensior, et actu non extendi ad proximum, et aliquando e converso, potest actus simul esse circa Deum et proximum, et minori conatu et intensione fieri. Ex hoc autem principio, quod verissimum esse existimo, aperte concluditur, ex vi comprehensionis extensivæ tantum omnium quæ eminenter in Deo continentur, non sequi, per locum (ut aiunt) intrinsecum, visionem illam esse infinite intensam, aut procedere a lumine gloriæ infinite intenso. Quia illa perfectio extensiva non conveniret illi ex vi intensiois, sed ex vi suæ entitatis individualis indivisibiliter. Et, hoc principio posito, nullam vim habet supputatio: Ad videndum tot creaturas requiritur visio, vel lumen tam intensum, et ad plures, intensius; ergo ad infinitas, infinite intensum. Negatur enim antecedens, quia non requiritur certa intensio, sed solum talis individua entitas visionis, quæ, si existat, licet remissa, manifestabit eadem omnia; et si eadem fiat intensior, non representabit plura, sed eadem clarius; imo etiam si habeat plures gradus intensiois, non manifestat quasdam res per unum gradum, et alias per alios, sed omnes per quemlibet gradum, quia omnes gradus tendunt in idem objectum, ejusque representationem clariorem reddunt, quod non possent facere, si res diversas representarent. Igitur, licet daretur visio Dei, representans omnes creaturas posibles, non necessario esset infinite intensa. Imo illam posset in infinitum intendi, sicut potest in infinitum intendi amor beatificus Dei, etiamsi ad nova objecta non extendatur.

23. *Obiectio.* — Objicies: qui videt in Deo omnes creaturas, videt totam (ut sic dicam) intensionem omnipotentiae Dei; ergo videt infinitam Dei virtutem intensive; ergo actu infinite intenso. Antecedens probatur, quia, licet in effectibus illa sit extensio quædam, in virtute tamen ipsa effectrice est intensio,

quia ex perfectione ejus intensiva provenit, quod ad tot effectus et in infinitum perfectiores extendatur; ergo ex cognitione omnium effectuum in divina omnipotentia colligitur, illam potentiam cognosci secundum totam intensionem perfectionis suæ.

24. *Dissolvitur.* — Respondetur negando secundam consequentiam; committitur enim æquivocatio; aliud est enim videre totam intensionem objecti, aliud videre tota intensione, totoque conatu quo potest illa intensio objectiva a vidente videri. Recte ergo colligitur illo argumento, divinam perfectionem objective videri infinite, id est, secundum infinitam intensionem objectivam; non tamen inde necessario sequitur, videri infinita intensione ex parte videntis, quia potest videri majori et minori conatu vel claritate. Quin potius, omnes videntes Deum vident totam ejus infinitatem intensivam, quia illa simplicissima, prorsusque indivisibilis est, licet finite videant. Is autem, qui videret in Deo omnia possible, peculiari modo videret totam illam infinitatem, quodammodo penetrando totam illam ex parte objecti, quatenus ex parte illius distincte videret continentiam eminentialem omnium rerum in ipsa; non tamen inde necessario sequitur quod videret toto conatu possibili ex parte videntis, et consequenter neque infinita intensione.

25. *Visio creata omnium possibile in Verbo, absolute impossibilia.* — Ex his ergo satis concludi videtur, nullam necessario sequi ætalem infinitatem ex visione creata Dei, etiamsi per illam omnia possible in Deo ipso videantur. Hinc vero retorquendam censeo esse rationem, et concludendum, impossibile esse talem visionem. Nam, vel illa finita est, vel infinita. Finita, esse non potest sufficiens ad comprehendendam Dei immensitatem, et representandum adæquate totum Deum secundum omnia quæ in ipso formaliter et eminenter continentur, ac representabilia sunt. Infinita autem nec admittitur, neque esse potest, ita ut ad illum effectum sufficiat; ergo. Minor quoad priorem partem ex terminis per se nota visa est Sanctis Patribus. Hinc est enim id, quod Gregorius ait, lib. 18 Moral., c. 39: *Quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus.* Et loquitur de visione beata, quam dicit, hoc ipso quod creata est et finita, non posse circumscribere immensitatem Dei; circumscribere autem non significat, intense aut

clare videre, sed veluti intra se capere totam illam immensitatem, totamque ejus quasi extensionem in se complecti. Et Theologi omnes non alia ratione probant, creaturam non posse comprehendere Deum, nisi quia finita est, ut constat ex D. Thoma, 1 p., q. 12, art. 7; Bonav., in 3, dist. 14, art. 1, q. 2; Richard., art. 1, q. 1; Scot., q. 1, ad 1; Durand., q. 1, art. 10; Majore, 4, d. 49, q. 15, et aliis infra citandis. Ratio ergo ex ipsis terminis colligenda est, quia inter finitum et infinitum non potest esse adæquatio; illa autem visio est simpliciter finita; cognoscibilitas vero Dei, et, ut sic loquar, representabilitas est simpliciter infinita; quomodo ergo potest intelligi quod adæquet representatio visionis totum illud objectum, et comprehendat illud, etiam extensive? Confirmatur ac declaratur, nam plus distat omnis visio creata possibilis a perfectione illius objecti, quam distet visio quam inferior Angelus habet de superiori, a perfectione ipsius Angeli superioris; sed Angelus inferior non potest superiorem comprehendere tali visione, non solum ex defectu intensiois vel claritatis, sed etiam quia non potest totum illud objectum distincte ex parte objecti intra se capere, eo quod cognoscibilitas objecti superet capacitatem cognoscentis; ergo multo magis superabit essentia divina quæcumque visionem creatam possibilem.

26. *Occurritur objectioni.* — Dices, argumentum concludere, non posse virtute naturali, quomodo inferior Angelus non potest plene capere superiorem, secus autem esse virtute supernaturali, seu per divinam elevationem. Respondetur imprimis argumentum esse proportionale, et ita procedere de potentia jam elevata. Itaque magis distat omnis potentia creata, quantumvis elevata, ab essentia divina, in ratione et proportione objecti et potentiae, quam distet inferior Angelus a superiori, quia illa est distantia infinita et diversi ordinis, hæc autem finita. Deinde dicitur hic non habere locum elevationem, quia loquimur de visione ipsa, quæ non est amplius elevabilis ad representandum, quia ex natura sua formaliter representat. Comparando ergo actum ad actum, respectu suorum objectorum, quæ naturaliter representant, procedit ratio facta; et secundum eam rationem magis limitatus et improportionatus est actus visionis creatæ ad representandum adæquate Deum, quam intellectio inferioris Angeli ad representandum superiorem.

27. Altera vero pars superius assumpta, scilicet, illam visionem non posse esse infinitam, ex superius dictis clara est; aut enim esset infinita extensive ex parte ipsius visionis, id est, per verum augmentum et additionem realem. Et hoc non, tum quia repugnat dari aliquod infinitum in actu hujusmodi; tum etiam quia extensio actus ad plura objecta non fit hoc genere augmenti, ut declaratum est. Vel esset infinita intensive intensione graduati, et hoc non, quia etiam hujusmodi infinitum in actu repugnat esse, et etiam quia hæc intensio nihil per se confert, ut actus extendatur ad plura objecta, ut etiam probatum est. Vel esset infinita intensive intensione perfectionis et essentialis. Et hoc non, quia hæc intensio non est alia quam essentialis perfectio rei; et ideo nulla potest esse visio sic infinita intensive, nisi quæ est essentialiter infinita; hujusmodi autem est sola increata visio. Quod si dicas hoc esse verum de visione sic infinita simpliciter, tamen secundum quid et objective posse dari visionem sic infinitam, respondetur hanc esse petitionem principii; quia esse hoc modo infinitam secundum quid, nihil aliud est quam esse in se simpliciter finitam, representare autem adæquate rem infinitam; et hoc est quod in priori parte probavimus esse impossibile. Atque hoc sensu dixit semper D. Thom., ad videndum omnia possible in Deo, necessariam esse visionem comprehensivam, et infinitam intensive, non intensione graduum et accidentali, sed perfectionis et essentiali. Et simili modo dixit Cajetan., d. q. 12, art. 8, videre in Deo omnia possible, et videre Deum infinite, sese mutuo consequi; sic etiam dixit Ferrar., 3 cont. Gent., cap. 56, § Pro solutione, cognoscere omnia in causa, esse comprehendere causam; et Soto, in 4, d. 49, q. 3, art. 3, concl. 5, ad 2, dixit, visionem omnium in Deo, necessario connecti cum infinita claritate; hoc enim est verum, non de infinitate graduati, sed de essentiali, ut a nobis declaratum est. Atque hæc ratio sic declarata videtur mihi sufficientissima pro materiæ capacitatem et altitudine.

28. Dico secundo: anima Christi neque in actu primo seu habitu videt omnia possible in Deo. Hæc conclusio videtur mihi necessario sequi ex præcedenti, supposita perfecta natura hujus scientiæ beatæ, de cujus ratione est ut semper sit in actu secundo, quia est perfectissima scientia et immutabilis. Et confirmatur seu declaratur hoc modo, quia vel